

67 Prima sententia negat, quod Prælatus non potest dispensare in irregularitate novitiorum. 68 Secunda affirmat, & fundatur. n. 69. 70 Solvitur fundamentum adversariorum, & quod novitius potest adire Episcopum.

66. Conveniunt, quod dispensatio facta à Prælato, seu visitatore in solemnibus visitatione, seu reconciliatione comprehendat ipsos Religiosos professos, ut absoluti, & dispensati maneat à quacunque irregularitate, si illi erant innodati, ad quam se extendat potestas ipsius visitatoris, ita ut hæc dispensatio in tantum eis prosit, quod si postea subditus meminerit se esse aliqua irregularitate affectum verbi gratià, non egeat nova dispensatione, cum jam per illam generalem dispensationem, fuerit irregularitas ablata, Ita Peyrinus tom. 1. Privilegiorum consuet. 1. Julii II. adducens Navarum in summa cap. 26. num. 13. Sylvest. verb. confessio. 1. quæst. 4.

67. Major difficultas est, an Prælatus Regularis possit dispensare cum novitiis super omni irregularitate ex delicto occulto provenienti, juxta concessionem Apostolicam. Negant Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 11. Azor. part. 1. dub. 11. cap. 19. Sayrus Clavi Reg. lib. 6. cap. 11. num. 92. Quia licet Regularis habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, non tamen in novitium, cum non sit simpliciter, & absolute vetus Religiosus.

68. Tamen simpliciter opposita sententia tenenda est, quam tenent Sanchez in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 39. num. 17. Tamburin. de jure Abbat. tom. 2. disp. 18. quæst. 3. num. 2. Henriquez, Lessius, Faustus, Miranda, Bartholomæus de Vecchis, Portel, quos citat, ac sequitur Diana 3. part. tract. 2. Resol. 71. quibus adhaeret Pellizari, tom. 2. tract. 9. cap. 3. sect. 4. num. 19. & in hac sententia sunt Auctores, quos supra citavi, quæst. 2. n. 7.

69. Probatur primò, quia novitii gaudent privilegiis sui ordinis, ut est commune, & concessit Gregorius XIII. Novitiis Societatis, ut ipsius Societatis gaudeant privilegiis. De quo communicant alie Religiones. Secundò, Quia etiam Prælatus Regularis non habet potestatem dominativam in novitios, habet tamen potestatem spiritualem Ecclesiasticam in eos, ut ex Navarrio cum communi sententia tenet Sanchez lib. 4. in Decalog. c. 39. num. 17. & inde fit, quod novitius valet confiteri cum confessore approbato à Prælato ordinis, & quod novitius quamdiu perseverat in Religione, exemptus est à jurisdictione Episcopi, qui non potest cognoscere de delicto ejus, ac aliis illius causis, nisi forte novitius se illi subdat, ut late probat Sanchez citatus cum Henriquez, Rodriguez, Lessio, Angelo, Sylvestro, & aliis.

70. Nec obstat fundamentum Suaris, quia Novitius non habet statum perpetuum, sed veluti ita dicam habet statum mutabilem, & annualem, dispensatio autem fit ad rem perpetuam. Quæ ratio non multum urget, quia, v.g. quis virtute Jubilæi, vel sacre penitentiaria potest dispensari, & tamen postea ex negligentia non exequitur opera adjuncta, sic & Novitius accedens ad Religionem, ex ejus privilegiis obtinet aliquod beneficium, & favorem,

Peirra.

Sylvest. Navar.

Suar. Azor.

Sayrus.

Sanchez. Tambur. Henric. Lessius. Faustus. Miranda. Vecchis. Portel. Diana. Pellizari.

Navar. Sanchez.

Sanchez. Henric. Rodrig. Lessius. Angelus. Sylv.

70. Suar.

licet postea in ea non perseveret, & sicut Novitius quamdiu est in Religione, sustinet illius onera sic æquum est, ut favoribus illius gaudeat.

Dixi; quod si Novitius velit, potest adire Episcopum ad obtinendum aliquam dispensationem, potest illum adire, cum nondum plenam exemptionem, ac subjectionem Prælato Regulari adeptus sit, ideoque potest se subire Episcopo, ut probat Sanchez citatus, num. 18. & 20. addens, quod debet adire ad Episcopum sui domicilii Oppositum mihi videtur verius, quia ex eo quod Novitius ingressus est Religionem, jam non habet animum perpetuo habitandi in priori domicilio, sed se transferendi ad hunc, & illum locum, prout obedientia ordinaverit, ac proinde si vult adire ordinarium, debet adire illum, in cujus diocesi se habet in præsentiarum.



RESOLUTIO XXIX.

Explicatur potestas, quam habent Confessores Regulares ad dispensandum cum secularibus.

QUESTIO PRIMA.

De potestate concessa Confessoribus Regularibus ad dispensanda vota, & juramenta.

SUMMARIUM.

- 1 Non agimus de infis confessoribus, quantum ad ipsos Fratres, quia est res volatilis dubia. 2 Confessores Regulares possunt dispensare in votis secularium, quinque exceptis. 3 Privilegia Apostolica. 4 Votum conditionale castitatis, vel alia, que non sunt directe vota castitatis, non sunt reservata. 5 Votum castitatis in conjugatis est dispensabile. 6 Votum peregrinationis ad loca sancta, si non est ex devotione, sed alio fine non est reservatum. 7 Religiosi possunt commutare.

NON agimus in præsentibus de potestate, quam habent Confessores Regulares erga ipsos Fratres, & Religiosos, quia res est dubia, & multas paritur difficultates, quoad dispensanda eorum vota, & juramenta, & ideo pro hac re via certa, & secuta est recurrere ad Religionis Prælatum, ut notat Portel. verb. Confessor. quoad Fratres, num. 21. Sed loquimur tantum de Confessoribus Regularibus quoad vota, & juramenta secularium accedentium ad eos ad confessiones.

Dico Primò, Confessores Regulares possunt dispensare in omnibus votis secularium venien

71.

1.

2.

venientium ad confessiones, exceptis quinque Papæ reservatis, scilicet castitatis, Religionis, ac triplicis peregrinationis, de quibus jam egi in præcedentibus, Resolutionibus 28. & 27. Sententia est communis. M. Lezana, tom. 1. cap. 19. num. 23. Lopez, Navar. Valentia, Sayrus, Aragon. Candidus. Vivald. Pellizari. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 141. Urbanus tract. 2. part. 2. disp. 1. cap. 4. Regul. 1. fol. mibi 249. M. Fr. Anton. ab Spir. Sanct. director. Reg. tom. 1. tractatus 2. disp. 3. sect. 2. num. 80.

Ad fundamentum hujus veritatis stabilendum multa privilegia adducit Bordon, tom. 1. Resol. 15. num. 2. quæ partim sunt viva vocis oracula, vel pro certo, determinato tempore, duo, vel tria bullata, & pro omni tempore. Primum bullatum, Eugenius I V. concessit Monachis S. Justine Ordinis S. Benedicti, confiteri. Et si qualibet apud Confesum pag. 39. & apud Cafarrubium in compendio privilegiorum Mendicant. verb. Absolutio quoad secularium 2. num. 16. Inter cetera ait Pontifex: insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, & cum eis dispensare præsentibus, penitus, & vota, & casus, de quibus esset merito sedes Apostolica consulenda. Ubi ut bene advertit Miranda tom. 1. quæst. 48. art. 3. verb. dispensandi, etiam referendum esse ad vota. Aliud privilegium concessit Paulus III. Patribus Societatis Jesu in sua constitut. Cum inter cuncta referunt Confesius, pag. 184. & Cafarrubius, in citato compendio, ubi supra num. 19. ubi ait citatus Paulus III. quod concedit liberam facultatem, vota quacunque per eos pro tempore emissa (ultra marinis, visitationis B. Petri & Pauli Apostol. de urbe, ac Sancti Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi. Julius II. concessit Patribus Benedictinis facultatem dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt dispensare Episcopi. Refert Sorbo verb. dispensatio. Peregrin. verb. dispensatio. §. 10. licet alia privilegia possint referri, hæc sufficiant.

Ex his colliges, Primò, quod Confessores Regulares possunt dispensare in votis castitatis, ac Religionis, & triplicis peregrinationis, quando hæc vota non sunt absoluta, & ex perfecto amore Dei, sed conditionalia, & penalia, ut supra dixi de Episcopis, Resol. 27. quæst. 3. n. 12. & 13. Ex his etiam colliges Confessores Regulares posse dispensare in votis, quæ non sunt simpliciter, & absolute castitatis vota; ut si quis faciat votum astumendi ordines sacros, non nubendi, non fornicandi, non polluendi, mulierem non luxuriosè tangendi; imò si faciat votum castitatis per quatuor, vel sex annos, hæc vota non sunt simpliciter castitatis vota, & ideo non sunt reservata, Sanchez lib. 8. disp. 9. num. 11. & in Decalog. lib. 4. c. 40. & alii apud ipsum, Diana tom. 1. in Cruciatam, Resol. 56. Portel. verb. Dispensatio de Confessario Regulari, n. 19.

Colliges tertio, quod etiam est dispensabile, & non reservatum, quod matrimonio conjuncti votum inierunt ex communi consensu

Lezana. Lopez. Navar. Valentia. Sayrus. Aragon. Candidus. Vivald. Pellizari. Urban. Fr. Anton.

3. Borden.

Confes. Cafarrub.

Miranda.

Confesius. Cafarrub.

Sorbo. Peregrin.

4. Sanchez. Diana. Portel.

5. Sanchez. Diana. Portel.

servandi castitatem; nam hoc in conjugatis non est perfectum, & absolutum integræ castitatis votum, sed tantum non petendi debitum, & ex una parte potest deficere, & ideo non est votum perpetuum, & absolutum, ac per consequens non est Papæ reservatum. Ita Rodrig. tom. 1. quæst. 73. art. 2. Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. cap. 10. in fine, Castro Palau tom. 3. tract. 15. disp. 2. punct. 13. num. 9. Trulench, in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 44. n. 3.

Colliges quartò, quid dicendum sit de voto triplicis peregrinationis in loca sancta, vel Romam, Compostellam: si tale votum fiat, non ob venerationem, nec devotionem illorum locorum, sed ob curiositatem ad videnda miracula Romæ, non est votum reservatum, cum non sit emissum ob cultum Dei, & venerationem illorum locorum, quia hæc de causa vota illa reservantur, Bordonius tom. 1. Resol. 15. num. 20. unde docet Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 40. num. 77. Votum ejus, qui promittit ire Romam ad visitandam imaginem Virginis, aut ad osculandum pedes Sanctissimi Domini Papæ, non est reservatum; nam reservatio tunc datur, quando votum fit ad veneranda ea quæ sunt in illa civitate, non verò ad unum, vel alterum determinatè tamen; simpliciter votum ire ad ea loca, tunc est reservatum, quia tunc directè tendit ad venerationem illorum locorum.

Dico Secundò, Religiosi habentes communicationem cum Religiosis D. Benedicti, ac Societatis, Jesu, possunt commutare omnia vota, exceptis illis quinque secularium ad se venientium ita constat ex privilegiis relatis Eugenii IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis Jesu, ut refert Lezana tom. 1. cap. 19. num. 23. Et patet ex privilegiis relatis supra in hac questione conclus. 1. Gregor XIII. extendit hoc privilegium, ut notat idem Lezana ad vota etiam jurata. Dummodo talis commutatio in alterius præjudicium non fiat. In commutatione autem horum votorum, idem sentiendum est, ac in eorum dispensatione, ut ex multis observat Bordonius tom. 1. Resol. 5. num. 29.

QUESTIO II.

An Confessarii Regulares possint dispensare in quinque votis Papæ reservatis, quando ratione necessitatis Episcopi possunt dispensare?

SUMMARIUM.

- 8 Episcopi in casu necessitatis, quando recursum ad Papam est difficilis, possunt dispensare. 9 Proponitur casus ex Sanchez. 10 Affirmant aliqui. 11 Negat communis sententia. 12 Ejus fundamentalis ratio.

Questio satis curiosæ, & difficilis; communis sententia tenet, quod quando urget necessitas, & non est aditus facilis ad Papam sine mora, quod tunc ex benigna mente Summi

Rodrig. Basilius. Legionensis. Palau. Trulench. 6.

Bordon. Sanchez. 6.

7.

Lezana.

Bordon.

8.



Sylvest. Navar. Palaus. Hentiq. Sa. Valentia. Aragon. Barbof. Diana. Sanchez.

Murcia. Diana. Palscius. Vidallus. Croulores. Fr. Anton.

Rodrig. Miranda. Suar. Barbofa. Hentiq. Sanchez. Layman. Bassilius. Diana. Palaus. Fagundez.

Summi Pontificis, in votis reservatis possit Episcopus dispensare, quia tunc credendam est ex benigna Pontificis mente nolle eum sibi talem casum reservare, sed potius Prælati inferioribus concedere facultatem, dispensandi & hæc communis est sententia, Ita Sylvester, Navarrus, Palaus, Henriquez, Sa, Valentia, Aragonius, & multi alii, quos citant, ac sequuntur Barbofa de potestate Episcopi, 2. parte allegat. 37. num. 8. Diana p. 6. tract. 6. Resol. 50.

Unde Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 22. post medium refert, quod ipse de hac re fuisse consultus, ac consulisset, quod poterat Episcopus dispensare cum juvene, qui voto Religionis strictus, virginem deservaverat, ac gravidam effecerat, volens tunc eus famam consulere, eam dicens, eratque periculum in mora, quia si dispensatio Pontificia expectaretur, impeditur matrimonium à consanguineis juvenis, qui illi repugnabant, ac mutaretur juvenis voluntas, que non tam firma erat quin facile mutari posset, & ita dispensasse Episcopum, ut refert Sanchez citatus.

Quæstio præfens, an cum Mendicantes habeant facultatem ad dispensandum in votis, in quibus Episcopi valent dispensare; & ratione necessitatis urgentis Episcopi valeant dispensare in quinque votis reservatis, an etiam ratione ipsius necessitatis, valeant in eis Mendicantes dispensare; sententiam affirmativam tenent Murcia apud Dianam p. 9. tract. 6. Resol. 50. & Palscius apud ipsum eadem part. 9. tract. 9. Resol. 6. Vidal, de voto inquisit. 3. n. 7. Croulores in Regulam S. Francisci cap. 7. lect. 29. fol. 785. & probabilem dicit M. Fr. Antonius ab Spiritu, sanct. director Regul. tract. 2. disp. 3. sect. 2. n. 81.

Tamen in tali casu necessitatis, quod Religiosi non valeant dispensare in votis reservatis, est communis, & vera, Ita Rodrig. tom. 1. quest. 63. art. 3. & 6. Miranda tom. 1. quest. 48. art. 4. Suar tom. 2. lib. 6. de voto cap. 26. num. 26. Barbofa citatus num. 14. Henriquez, Sanchez Layman, Bassilius, Legiones, & alii quos citant ac sequuntur Diana part. 6. tract. 6. Resol. 50. Castro Palaus tom. 3. tract. 15. de voto, disp. 2. punct. 12. num. 7. Fagundez in præcepta Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 45. num. 15.

Probat, quia tales casus, non jure ordinario, sed extraordinario, ac per accidens ratione urgentis necessitatis competunt Episcopis, ex quadam benigna juris interpretatione, ac voluntate Pontificis, tanquam Pastoribus ac Prælati ordinariis suarum ovium, ne peccent, sed eorum bono consulant; ergo cum hi casus jure ordinario, non sint casus Episcopales, sed ex peculiari delegatione, non competunt Regularibus: quæ enim ex delegatione competunt uni, non competunt omnibus. Aliam rationem adducit Castro Palaus citatus, quæ non multum firma videtur, & inde eam omitto.

QUESTIO III.

An Episcopus, vel Regularis confessor, vel quilibet confessorius virtute Jubilæi, vel Bullæ Cruciatæ possit commutare sacramentum, vel vota jurata?

SUMMARIUM.

- 13 Quilibet ex supradictis potest dispensare, seu relaxare sacramentum, seu vota jurata.
14 Possunt prædicti in voto jurato jejunandi tali commutare.
15 Possunt prædicti confessorii in voto & sacramentum relaxare in favorum alicujus tertii, dummodo non sit acceptum.
16 Possunt etiam dispensare in ipso voto, vel sacramentum, quævis non deus specialis promissio.

Dico, quod Episcopi, confessores Regulares per sua privilegia, ac quilibet confessor secularis virtute Jubilæi, aut bullæ Cruciatæ possunt dispensare, seu relaxare sacramentum, aut vota jurata, Ita Rodrig. in compendio, Bossius, & alii, quos citat, ac sequitur Bordonius tom. 1. Resol. 15. num. 1. Portel verb. Confessor erga seculares, num. 26. & Tabiena, Navar. Petrus de Ledesma, quos citat, & cum eis consentit Diana part. 4. tract. 3. Resol. 69. & part. 5. tract. 12. Resol. 69. & Candidus in disquisitione 27. art. unico, dub. 3. & 4. cum Sanchez, & aliis. Et hæc conclusio est communis: Probat, quia hoc concessit de votis juratis Gregorius XI I. Partibus Societatis Jesu. Probat deinde, quia prædicti possunt dispensare in sacramentis, ut communiter sententur omnes, & dicam statim; ergo bene possunt dispensare in votis cum juramento. Constat, quia ipsi ut supra dictum est superiori resolutione, possunt dispensare in voto, adjectum autem sacramentum non variat substantiam voti, non enim de non reservato facit reservatum.

Ex his colliges primò, posse prædictos confessarios dispensare in juramento, seu voto jurato jejunandi omnibus sextis feriis in honorem Passionis Christi, ita colligitur ex proximè citato privilegio Gregorii XI I. & tenent Portel, Bossius & alii cum Bordonio Resol. 15. num. 26. Et probatur etiam ratione, quia prædicti confessorii valent dispensare in voto, ut dixi superiori resolutione: Deinde possunt dispensare in juramento, ut cum multis Doctoribus probat Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 18. referens se ipsum in Decalog. lib. 4. cap. 53. num. 8. ergo possunt dispensare in voto jurato.

Colliges Secundò, Possunt prædicti confessorii Regulares, vel seculares ex Jubilæo, vel ex Cruciatæ dispensare in votis, vel juramentis factis in favorem alicujus tertii, ut si quis vovit Ecclesiæ dare candelabra aurea, vel tali pauperi elemosynam, dummodo non ab eis, vel ab aliquo accepta sint; nam promissione facta

Rodrig. Bordon. Portel. Tabiena. Navar. Ledesma. Diana. Candidus.

Portel. Bossius. Bordon.

Sanchez.

Sanchez. Portel. 16. Navar. Trullench. Sylvest. Angelus. de la Torre

Lezana.

17.

18. Tabiena. Navar. Diana.

D. Thom.

facta nemo dicitur jus acquirere, nisi per humanam acceptationem, ut planum est apud omnes; ergo confessorius vi suorum privilegiorum dispensando, nulli tertio præjudicium inferat, cum per votum, aut juramentum factum, nullum jus, aut emolumentum amittat, cum nondum acquisisset, quia hoc debebat dare acceptatio, quæ non est facta, ut suppono. Ita Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 4. n. 7. & cap. 53. num. 2. Portel verb. Confessor. erga seculares, n. 26. & 27. & verb. Votum n. 97. Navarrus, quem sequitur Trullench. lib. 2. in Decalog. cap. 2. dub. 4. num. 31. Sylvester. Angelus, Cajetanus, quos refert Raphael de la Torre, quest. 88. art. 12. disp. 2. num. 2. Quod licet votum sic acceptum ab aliquo tertio, dum modo non sit illi facta specialis promissio, quod adhuc est dispensabile à prædicto confessorio, quia cum promissio cum voto, vel juramento facta sit soli Deo, per accidens est, quod sit in favorem tertii, hominis acceptatio sine speciali promissione non tribuit jus iustitiæ, tamen opposita sententia est verior cum Sanchez, ac M. Lezana, tom. 1. cap. 18. num. 53. quia illa specialis promissio non requiritur, sed est inhibita in ipso voto, vel juramento facta, quæ cum sit emissa in favorem Ecclesiæ, vel pauperis, sit est. quod minister Ecclesiæ, vel pauper nomine Dei, vel Ecclesiæ acceptet.

Excipiuntur tamen statuta jurata confirmata à Papa, Academiarum, Collegiorum, & Regnorum, in quibus Episcopi non possunt dispensare, ut postular bonum commune, ut dixi supra Resol. 27. quest. 3. num. 15.

QUESTIO VI.

An Episcopi, vel confessores Regulares, seu seculares, virtute Bullæ, seu Jubilæi valeant dispensare vota jurata castitatis, vel Religiosis?

SUMMARIUM.

- 18 Prima sententia affirmat, & est probabilis.
19 Secunda sententia negat, & est vera.
20 Proponitur sententia negans fundamentum.

Affirmativam sententiam tenent Tabiena, Navarrus, quos adducit Diana statim citandus, Petrus de Ledesma in summa tom. 2. tract. 11. cap. 4. dub. 2. ubi sic ait: Quia in jure nullum reperitur sacramentum reservatum Pontifici, non sequitur, illa quinque vota sunt Pontifici reservata; ergo etiam juramenta de illa materia: nam obligatio voti major est juramenti obligatione, ut docet D. Thom. 2. 2. quest. 89. art. 8. Et ex alia parte, cum reservatio sit odiosa, restringenda est, & non amplianda. Deinde cum Pontifices per aliquod indultum facultatem dant relaxandi, seu commutandi omnia juramenta, sine partis tamen præjudicio, non solent excipere aliqua juramenta, sicut excipiunt aliqua vota; ergo signum est non esse usu receptum, aliqua juramenta, & etiam illa quinque esse Pontifici re-

servata, & ideo quando Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi juramenta, possunt sine scrupulo à confessoris illa quinque relaxari. Ita Ledesma, & ideo ob prædicta fundamenta, hæc sententiam probabilem dicunt Diana part. 4. tract. 4. Resol. 69. Trullench. in Bullam Cruciatam, lib. 5. §. 3. Alp. de Leo. dub. 5. num. 5. Alphon de Leone de potest. Confessor. part. 2. Resol. 20. recollect. 20. n. 181. Pellizarius tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. n. 158. Fr. Anton. ab Spiritu, in director. Regular. tom. 1. tract. 2. disp. 3. sect. 2. num. 87. Et hæc sententiam probabilem esse dico.

Tamen simpliciter mihi videtur dicendum, quod tales confessores sive Regulares per sua privilegia, sive seculares ratione Jubilæi, vel Cruciatæ, non possunt dispensare in illis quinque votis juratis, verbi grati castitatis, Religionis, & hæc sententiam ut probabilior tenent Doctores proximè citati, & etiam Cajetan, Soto, Valentia, Azor, Layman, Aragon, Bassilius, Pontius, citati à Diana prædicta Resolutione 69. eandem sententiam tenet Sanchez, lib. 8. de Matrim. disp. 13. num. 7. & in Decalogum lib. 4. cap. 54. num. 21. Bordon. tom. 1. Resol. 5. n. 28. Turrian. in disquis. selectis, centur. 2. dub. 92. & multos alios Doctores citat Bossius sect. 1. casu 5. num. 13.

Probat, quia omne juramentum Deo factum, includit votum, juramentum autem quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est, quam votum jurejurando firmatum, ergo si votum est Papæ reservatum, similiter erit & juramentum. Et confirmatur, quia vinculum, aut vis voti non diminuitur, aut deperditur per adjunctum juramentum, nam ut docet D. Thomas 2. 2. quest. 89. art. 8. Major est obligatio voti obligatione juramenti, ut etiam explicat Castro Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 1. num. 5. ergo cum obligatio voti sit major, non potest minui per id, quod est minus, nempe per juramentum; semper enim accessorium sequitur principale; principale autem est id, quod est majus, & inde votum est principale, & tanquam accessorium est juramentum, id autem quod dicitur, nullum juramentum inveniri reservatum in jure, id verum est de juramento secundum se, sed juramentum junctum voto ratione voti sit reservatum.

QUESTIO V.

In quibus irregularitatibus secularium confessores Regulares valent dispensare?

SUMMARIUM.

- 21 Irregularitas triplici modo consideratur.
22 Possunt confessores Regulares dispensare cum Clericis secularibus ex mala suspensione, ac administratione Sacramentorum.
23 Nec obstat, quod in privilegio sit facultas absolvendi à censuris.
24 Prædicti confessores possunt dispensare cum secularibus, in irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi, & n. 25. & 26. 27. Irregu-

Diana. Trullench. Alp. de Leo.

19.

Cajet. Soto. Valentia. Azor. Layman. Aragon. Pontius. Diana. Sanchez. Bordon. Torrian. Bossius.

D. Thom.

Palaus.